

iusticia de toto beneficio filij Dei, quod in hac uita inchoatur fide, id est, fiducia Mediatoris, qua sumus iusti, id est accepti Deo, qua & filius Dei uiuificat credentes, & ostendit Patrem, dat Spiritum sanctum, ut inchoetur noua obedientia, quæ postea erit integra in uita æterna, cum erit Deus omnia in omnibus. Est igitur re ipsa Regnum Dei iusticia æterna, ut Daniel nominat, id est, talis uita reddita per filium, fide, quæ deinde fit integra obedientia post resurrectionem.

Pax significat reconciliationem cum Deo, sicut alibi inquit Paulus: Iustificati fide pacem habemus apud Deum, id est, habentes fidem iam sumus reconciliati, liberati ab ira & à damnatione, & placemus Deo. Hanc pacem comitatur leticia in corde acquiescens in Deo, & hanc nominat leticiam in Spiritu sancto, id est, quæ accenditur à Spiritu sancto, quæ est amor & leticia substantialis, Ideo tales motus accendit, qualis est ipse. Cum autem accendat motus congruentes omnibus præceptis Dei, complectitur hic Paulus inchoatam obedientiam iuxta omnia præcepta Dei, leticiam in inuocatione, in dilectione Dei, gratiarum actionem & confessionem, obedientiam in dilectione proximi, Castitate & alijs uirtutibus, sicut enumerat fructus spiritus, Galatas 5, & alibi.